

tas linguae latinae, concinnitas numerorum, sententiae sanitas, consuetudo Plautina. Quorum generum nullum est quin in eo nimia editorum patientia peccatum sit multifariam. Et consuetudinis quidem, non eloquendi tantum, verum etiam sentiendi cogitandique, tanto gravius in emendatione apparet pondus esse, quanto latius observandi spatium pernoscendique copiam uberiores scriptoris amplitudo praebet. Itaque cum in praecipuis virtutibus Plauti praeter alacrem vigorem collaudari solitum concinna simplicitas sit et facilis perspicuitas, magis etiam mirum videri debet tot non modo ineptas et frigidas et elumbes, verum etiam misere hiulcas et argute contortas et mirabili obscuritate laborantes vel sententias vel sententiarum constructiones tamdiu incogitanter toleratas esse. Nihil nunc dicam de ipsius legibus grammaticis, quibus cum editorum ignavia an libido haud raro illuserit, elusi sunt ipsi: metricae autem disciplinae severitatem, qualem prolegomenis Trinummi communivi, non possum quin profitear Militis tractatione non modo comprobata mihi esse atque confirmata, sed aliqua ex parte etiam maiorem apparuisse quam statueram ante. Sic, ut uno exemplo utar, nunc pernovisse videor quod dubitantius suspicatus eram, cur Plautini non sint tales numeri:

Ibi erat bilibris aqualis sic propter cados.

Quippe anapaestum ars vetuit binorum vocabulorum consociatione fieri, quorum prius in media anacrusi finiretur: eaque elegantiae observatio, quantum intellexi, constans est apud hunc poetam, rudem scilicet et expertem artis, si audimus artis expertes, et misere contortuplicatis syllabis simulacra quaedam versuum potius quam versus edidisse contentum.

Exemplis, quae breviter significavi, comprobare mihi nunc longum est, facile ei qui annotatione mea quantumvis parca recte et cum iudicio uti volet. Qui quidem cum illud facile intellet, non minorem ex Milite quam e Trinummo emendata fructum in augendam latinae linguae scientiam redundare, quo et lexicographorum et grammaticorum libri multifariam emendentur, sed hoc quoque haud aegre sibi persuadebit, nihil a me nisi religiose pensitatis et ab omni parte consi-